



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

13. De decem fratribus, qui maledicto matris horribili quatiebantur tremore membrorum, quorum duo ad memoriam S. Stephani venientes, oratione ibidem fusa, liberati sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

*Augustinus ibidem, de decem fratribus, qui maledicto matris horribili quatiebantur tremore membrorum, quorum duo ad memoriam S. Stephani venientes, oratione ibidem fusa, liberati sunt.*

## CAP. XIII.

NUM est quod apud nos factum, non maius quam illa quæ dixi: sed tam clarum atque illustre miraculum, ut nullum arbitrer Hipponensium esse, qui hoc vel non viderit, vel didicerit: nullam qui obliuisci vllatione potuerit. Decem quidam fratres fuerunt, quorum septem sunt mares, tres foeminae, de Cæsarea Cappadociae suorum Ciuium non ignobiles: maledicto matris recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali poena sunt diuinitus coerciti, ut horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum: in qua foedissima specie oculos suorum Ciuium non ferentes, quaquaersum cuique visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo frater & soror, Paulus & Palladia, multis alijs locis miseria diffamante iam cogniti. Venerunt autem ante Pascha fermè dies quindecim, Ecclesiam quotidie, & in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant orantes, ut iam sibi placaretur Deus, & salutem pristinam redderet. Et illic, & quacunque ibant, còuertebant in se ciuitatis aspectum.

*Efficacia maledictionis matris in filios.*

*Martyriū hic  
pro loco vbi  
conditus est,  
vel vbi coli-  
tur martyr,  
positum vi-  
detur.*

ctum. Nonnulli, qui eos albi viderant, eausam  
que tremoris eorum nouerant, alijs vt cuique  
poterant, indicabant. Venit Pascha, atque ip-  
so die Dominico mane cum iam frequens po-  
pulus praesens esset, & loci sancti cancellos,  
vbi martyrium erat, idem iuuenis orans ter-  
ret, repente prostratus est, & dormienti simi-  
limus iacuit: non tamen tremens, sicut etiam  
per somnium solebat, stupentibus qui ad-  
stant, atque alijs pauentibus, alijs dolentibus  
cum eum quidam vellent erigere, nonnulli  
prohibuerunt, sed potius exitum spectandum  
esse dixerunt. Et ecce surrexit, & non tre-  
bat, quoniam sanatus erat, stabat incolunt  
intuens intuentes. Quis ergo intuētium le-  
nuit à laudibus Dei? Clamantium, gratulan-  
tumque vocibus Ecclesia vsquequaq; complens  
est. Inde ad me curritur, vbi sedebam iam pro-  
cessurus: irruit alter quisque post alterum om-  
nis posterior quasi nouum, quod alius praeter  
dixerat nunciantes. Meque gaudente, & ad  
me gratias Deo agente, ingreditur etiam pro-  
cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur  
ad osculum meum. Procedimus ad popu-  
lum, plena erat Ecclesia, personabar vocibus  
gaudiorum: Deo gratias, Deo laudes, pro  
mine tacente, hinc atque inde clamantium  
Salutauit populum, & rursus eadem feruentem  
re voce clamabant. Facto tandem silentio, scrip-  
pturarum diuinarum sunt lecta solennia. Vbi  
autem ventum est ad mei sermonis locum,

xi pauca, pro tempore, & pro illius iucunditate leticiæ. Magis enim eos in opere diuino, quandam Dei eloquentiam non audire, sed considerare permisi. Nobiscum homo prandit, & diligenter nobis omnem suæ ac maternæ fraternæque calamitatis indicauit historiam, sequenti itaque die post sermonem redditum, narrationis eius libellum in crastinum populo recitandum promisi, quod cum ex Dominico Paschæ die tertio fieret in gradibus exedra, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus. Intuebatur populus vniuersus, sexus vtriusque, vnum stantem sine deformi motu, alteram membris omnibus contrementem. Et qui ipsum non viderant, quid in eo diuinæ misericordiæ factum esset, in eius sorore cernebant. Videbant enim quid in eo gratulandum, quid pro illa esset orandum. Inter hæc recitato eorum libello, de conspectu populi eos abire præcepi: & de tota ipsa causa aliquantò diligentius cœperam disputare, cum ecce me disputante, voces aliæ de memoria martyris nouę gratulationis audiuntur. Conuersi sunt eò qui me audiebant, cœperuntque concurrere. Illa enim vbi de gradibus descendit, in quibus steterat: ad sanctum martyrem orare perrexerat. Quæ mox vt cancellos attigit, collapsa similiter velut ad somnum sana surrexit. Dum ergò requireremus, quid factum fuerit, vnde iste strepitus latus extiterit, ingres-

R si

si sunt cum illa in basilicam, vbi eramus, adducentes eam sanam, de martyris loco. Tum verò tantus ab utroque sexu admirationis clamor exortus est, vt vox cōtinuata cum lachrymis non videretur posse finiri. Perducta est ad eum locum, vbi paulò ante steterat tremens. Exultabant eam similem fratri factam, cui deluerant remansisse dissimilem. Et nondum factas preces pro illa, iam tamen prauiam voluntatem tam citò exauditam esse cernebant. Exultabant in Dei laudem voces sine verbis toto sonitu, quantum aures nostræ vix ferre potuissent. Quid ergò in cordibus exultantibus nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis fusus est?

*Ex parte sermonum D. Augustini, opera Henrici Olimmerij editorum Louani anno 1764. Exemplar libelli (cuius in precedenti capitulo mentio) dati à Paulo, sancto Augustino Episcopo.*

*Rogo Domine beatissim. Papa Augustini hunc libellum meum quem ex precepto tui tulli, sanctæ plebi iubeas recitari.*

Quum adhuc in patria nostra Cæsarea Cappadocia moraremur, frater noster natus in grauibus atque intolerandis communem contumeliam affecit iniurijs, intantum vt ei manus non dubitaret inferre. Quod nos et filij pariter congregati patienter tulimus, vt ne verbum quidem fratri nostro pro patria nostra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem

feminei doloris stimulis incitata, iniurio-  
 sum filium maledicendo punire constituit.  
 Quumq; ad sacri baptismatis fontem post gal-  
 lorum catus memorato filio suo iram Dei im-  
 precatura properaret: tunc ei nescio quis in  
 patris nostri similitudine, vt intelligitur, dæ-  
 mon occurrit, & ab ea prior quo pergeret, re-  
 quisit. Cui illa, ad maledicendum filio suo  
 ob intolerabilem contumeliam, se ire respō-  
 dit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in  
 mulieris corde infaniente locum facile inue-  
 nire potuit, vt omnibus malediceret, persua-  
 sit. Illa autem vipereis inflammtata consilijs,  
 sacrum fontem prouoluta corripuit, & sparsis  
 crinibus, nudatisq; vberibus hoc à DEO  
 potissimum postulauit, vt extorres patria, &  
 circumeuntes alienas terras, omne hominum  
 genus nostro terreremus exemplo. Mox ma-  
 ternas preces efficax vindicta prosequitur: eū-  
 demque continuò fratrem nostrum atate cul-  
 paque maiorem tremor membrorum tantus  
 inuasit, quantum in me vsque ante hoc triduū  
 vestra sanctitas vidit. Seruato autem ordine,  
 quo nati eramus, intra vnum annum eadem  
 nos poena omnes corripuit. Videns autem ma-  
 ter maledictiones suas ad tantam efficaciam  
 peruenisse, impietatis suæ conscientiam & op-  
 probrium hominum diutius ferre nō potuit:  
 sed laqueo guttur astringēs, luctuosam vitam  
 termino funestiore cōclufit. Egressi ergò nos  
 omnes opprobrium nostrum non ferentes,

& communem patriam relinquentes, passim sumus per diuersa dispersi. Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui nascendi ordine primùm sequitur, ad gloriosi martyris Laurentij memoriam, quæ apud Rauentinam collocata est, sicut audiimus, meruit nitas. Ego autem, qui nascendi ordine sextus eorum, cum hac sorore mea, quæ meritate subsequitur, vbiunque gentium, vbiunque terrarum loca esse sacra, in quibus operetur Deus miracula comperissem, magnosideratæ sanitatis amore carpebam iter. Sed de cæteris celeberrimis sanctorum locis, etiam ad Anconam Italiæ ciuitatem, per gloriosissimum martyrem Stephanum, tanta miracula Dominus operatur, eadem curatione perueni. Sed ideò alibi curari non potui, quia huic loco diuina prædestinatio uabar. Nec Vsalim ciuitatem Africæ perueni, vbi beatus martyr Stephanus magnos dicatur frequenter operari. Veruntamen, hos tres menses, id est Calendarum Iuniorum die, tam ego quàm soror mea, quæ hic moratur, eadem adhuc passione detenta euidentem visione commoniti. Ait enim mihi, factu clarus, & candido crine venerabilis, intra tertium mensem esset mihi sanata. Sorori autem meæ in visione sancta tua in ea effigie, in qua te præsentem videri apparuit: per quod nobis significatum est, istum locum nos venire debuisse. Nam de

beatitudinem tuam sæpius postea videbam  
 per alias ciuitates in itinere quò veniebamus  
 talem prorsus, qualem modo conspicio. Ad-  
 moniti ergò euidenti authoritate diuina, ad  
 hanc venimus ciuitatem ante dies fermè quin-  
 decim passionis meæ vel oculi vestri, testes  
 sunt, vel miserabilis soror mea, quæ ad erudi-  
 tionem omnium, communis mali præbet ex-  
 emplum, vt qui in illa, qualis ego fuerim vi-  
 dent, in me quantum per Spiritum sanctum  
 suum Dominus sit operatus, agnoscant. Ora-  
 bam ego quotidie cum magnis lachrymis in  
 loco, vbi est memoria gloriosissimi martyris  
 Stephani. Die autem Dominico Paschæ, sicut  
 alij, qui præsentés erant, viderant, dum orans  
 cum magno fletu cancellos teneo, subito ceci-  
 di. Alienatus autem à sensu, vbi fuerim ne-  
 scio. Post paululum assurrexi, & illum tremo-  
 rem in corpore meo non inueni. Huic igitur  
 tanto beneficio non ingratus, hunc libellum  
 obtuli. In quo etiam quæ de nostris calamita-  
 tibus ignorabatis, & quod de mea incolumi-  
 tate & salute cognouistis exhibui: vt pro mea  
 sorore orare dignemini, & pro me agere DEO  
 gratias.

*Gregorius Turonen. de gloria Confessorum cap.  
 69. De populo Rhementi, qui se uiente lue in-  
 quinaria assumptam de S. Remigij sepulchro  
 pallam cum crucibus & cereis per omnes vr-  
 bis vices religiose circumferentes, immunes  
 ab ea peste permanserunt.*

R 3 CA-